Edit. I pag. MCCCCLXXV Rotenburgum ad Tubarim. Inter testes sane, qui tabulis, de titulo Ducali terris Holsaticis tum collato, promulgandis adhibiti fuere, primo eminet loco. Vid. *Müllerus* l. d. cap. XLI § III p. 614.

comitiis Augustanis interest. 52) Paulo post, vt & Cæsari & suo satisfaceret officio, interfuit Comitiis rursus Augustam Vindelicorum indictis. *Lehmannus* chron. Spirensis lib. VIII cap. CXIII p. 901. Quin

cum Cæsare in bellum haud dubitauit, Fridericum III ad bellum aduersus Carolum Burgundum proficiscentem comitari. *Müllerus* l. d. cap. LXI § III p. 675, & cap. LXXI § VIII p. 705. In quo quidem bello non nudum fors pugnantium spectatorem egit, sed ipse etiam cum hoste pedem contulit. Quod dum *Iacobus Mayerus* lib. XVII annal. Flandric. p. 416 in litteras misit, calamo satis acri, quin in tantæ dignationis Principem ac Præsulem vere iniurioso, perstrinxit. *pro beiscitur*

Obit. IV Cum in castris ad Nouesium esset, graui cœpit ægritudine conflictari, ideoque in castrum Eltuillanum reductus, ad extrema deuenit, prout hoc in Erbachiani cœnobii templo, vbi iuxta Nassouium Gerlacum, de quo supra, sepultus, indicat epitaphium: *Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto sexta mensis Septembris, obiit Reuerendissimus in CHRISTO Pater & Dominus, Dominus Adolphus II de Nassau Archiepiscopus Moguntinus: cuius anima requiescat in pace. Amen.*

Sepelitur. Sepultus fuit in crypta, superimposito lapide; qui, cum solum chori, vti iam dictum, anno MDCCVII maioris decoris gratia eleuaretur, parieti iuxta Gerlaci statuam insertus; cinerès vero in vrnam lecti, & inter ambas statuas reconditi. Ceterum verba ἐπιγραφῆς sepulcralis ita habent; —— *Dominus* Secundus *Adolfus de Nassau* &c.

V Ceterum, per discordiæ huius occasionem, ne quod in Erfurtensi vrbe ius habet Reuerendissimus Moguntinus, Principum forte vicinorum alicui venderetur, submetuere cœpit illa ciuitas. Melior enim fere semper eorum, qui sub ecclesiasticis, quam qui sub politicis sunt, conditio. eamque ob caussam Romano supplicauit Pontifici, ne venditioni illi assentiretur. Rescripsit igitur Pontifex Pius II, anno Dominicæ incarnationis MCCCCLXII, venditionemque vetuit, & quidem cum præclaro Erfurtensium elogio, quod ciusmodi est: *Constantis fidei probata synceritas, & singularis deuotionis affectus, quem ad nos & Romanam geritis ecclesiam, digne merentur, vt humiles preces vestras ad exauditionis gratiam admittentes, illa vobis fauorabiliter concedamus, quæ status vestri honorem, tranquillitatem, & pacem, nec non vestræ reipublicæ communem concernere dignoscuntur.* At nos fuimus Troes: cecidit corona capitis nostri: effusa est in terram gloria nostra. *Sed nunquid qui dormierit, non adiiciet, vt resurgat?*

Thren. 5, & 2, secundum 70.

Ps. 40, 9.

Conf. *Gudenus* historiæ Erfurtensis l. d. § XXVI p. 140 & seq.

DIETHERVS, secundum.

I

POst Adolphi mortem *anno MCCCCLXXV, ipso S. Martini die*, Canonici* (ait in Sponheimensi *Trithemius*) *maioris ecclesiæ sapienti consilio vsi, quatenus in vnum prouentus ecclesiæ reducerent, Dietherum* de *Isenburg, quondam abrogatum, denuo in Archiepiscopum elegerunt, qui præfuit secundo annis VI, mensibus totidem.*

877

eligitur secundum Archiepiscopus *1) Adolfo fatis functo, lectus iterum fuit in Archiepiscopum *Dietherus*, & quidem die Iouis ante Martinalia, qui IX fuit mensis Nouembris, non autem ipsis D. Martini feriis, vt *Trithemius* in Sponheimensi habet, & post eum *Helvvichius* de dissidio Moguntino sectione XV § I p. 195. Disertim namque Decanus & Collegium ad ædem maiorem in suis ad Vicedominos, Præfectos, Prætores, Scabinos, Consules ciuitatum ditionis Moguntinæ Lunæ post Martini datis; *Haben vvir »am nehst vergangenen Dornstag» den Hochvvürdigen Fürsten in Gott Vatter vnd Herrn, Herrn* Diether *von* Isenburg, *Graven* zu *Büdingen, zu einem künftigen Erzbischoff vnsers Stifts zu Menz mit zimlicher ere vnd vvürdigkeit vffgenommen vnd ervvelt.* Et in aliis ad Pontificem die XXXI Decembr. scriptis: *De persona, quæ tandem releuare, resque ab ea alienatas melius recuperare, atque ad id faciendum aptior, vtilior, & conuenientior reperiri posset, prout tenebamur, prouidere volentes,* »die nona mensis Nouembris, » *Nobilem & Generosum Virum, Dominum* Dietherum *de* Isenburg, *Comitem* in *Büdingen, in Diaconatus ordine constitutum, multis*

v. *cod. Dipl.*

tis bonis atque laudabilibus respectibus, tanquam abilem & idoneum, ac vt talem, qui præ cunctis dictam ecclesiam nostram defensare, atque in pace & tranquillitate conseruare, & ab ea alienata recuperare possit ac valeat, elegimus in Rectorem & Pastorem.

commendatione quidt ipsius Adolfi

2) Ad Adolfi, leto iam propinqui, commendationem ad Archiepiscopatus titulos denuo adsumtum *Trithemius* chron. Hirsaug. ad h. a. p. 484 narrat. *Is*, inquit, *cum lecto decumberet ægritudinis, iam prope moriturus, percunctantibus Canonicis, quem sibi designaret successorem, respondit:* Etsi meum non » sit, mihi denominare succedentem, tamen » ex quo consilium meum requiritis, fideliter » dicam pro vestra vtilitate, quod sentio. » Dietherus de Isenburg, qui ante me fuit » Archiepiscopus, meliora quæque sibi per » concordiam assignata pro suo statu detinet » ecclesiæ bona, sicut notum est omnibus: » nec dubium, quin & pecunias habeat mul» tas, & non paruæ æstimationis elenodia. » Consilio hunc meo iterum in Archiepisco» pum eligite, & omnia, quæ habet, cum » eo ad ecclesiam reuertentur. Quod si » neglexeritis, timendum est, quod in ami» cos & consanguineos eius, quicquid ha» bet pecuniarum aut elenodiorum, post » mortem suam deueniat.

Ingratiis vero Papæ & Cæsaris.

3) Quin ingratiis Papæ, cum maxime vero Cæsaris electus fuerit, vix dubites. Qua enim in adferendis Imperii iuribus ac ecclesiarum Germanicarum commodis animi esset magnitudine, vtrique haud obscurum erat; tum vero haud satis consonum videbatur, quem a celsissimi muneris potestate deiecerant, denuo in Sedem imponi. Sixtum sane IV, comperto, agitari de surrogando Diethero consilia, grauiter indignatum, serio, quin sub anathematis interminatione prohibuisse, ne eligeretur, litteræ, quas in codice Diplomatico dedi, aperte docent.

pactione se obstringit Capitulo.

4) Electus Decano, ceterisque ædis summæ Canonicis, vt olim, ita nunc quoque peculiari pactione se obstrinxit, ac *ponendo manus suas supra pectus suum* iurauit, promissis se per omnia & singula capita quam studiosissime satisfacturum. Factum id die Lunæ post D. Martini sollemne, *Nicolao Iussel*, Præposito ad D. Mauricii, & *Conrado Bensheim*, Decano ad ædem B. M. V. ad gradus, vt testes essent, præsentibus.

eidem vrbem Moguntiam in perpetuum attribuit.

5) Eodem vrbem Moguntiam, cum omnibus iuribus, libertatibus, ac bonis, munimentis itidem, moenibus & portis, ciuibus denique ac incolis, in perpetuum eisdem possidendam, tenendamque tradidit, ac vt eam hoc magis in officio continere possent, simul ipsis potestatem fecit, castrum iuxta turrim, vulgo *Grynsthorn* dictam, vel alio quodam, qui eis commodior videretur, loco ædificandi, ædificato Præfectum, genere virtuteque spectatum *(einen treffenlichen Amptman)* ostiarium, præsidiarios ac custodes imponendi; sumtum in opus impendendum se numeraturum pollicitus. Quod sane mirum. Vnde vix est, quin statuam, Canonicos sibi eam antea disertim fuisse pactos. Interim facto prætensæ caussæ. Vna, quod Adolfus Canonicis, cum sententiis in diuersum tenderent, haud semel minatus fuerit, ni secum starent, se ciuitatem ditioni Sedis subducturum, alienamque in manum traditurum. Altera, quod Imperator id agat, vt eam sibi vindicet ac Imperio: vti sane non ita pridem, maleuolorum instinctu, vrbem sibi in manus dedi voluerit; cum tamen Moguntia iure iuris sit ac fuerit Moguntini, nec Cæsari & Imperio, nullius interpositu, vnquam subiecta *(die dan vnserm Stift vnd Kirchen zu Menze zugehorig, vnd niehe keinem Römischen Kaiser oder König, oder auch dem Römischen Rich zugestanden oder geeignet ist)* Ita sane *Dietherus* in tabulis, quas tum hac de re confecit, ediditque. Edit. I p. 877

vt tanquam legitimus Archiepiscopus recipiatur, monentur Sedi Moguntinæ subditi.

6) Decanus vero ac Canonici ciuitatibus Archiepiscopatus, litteris eodem hoc die exaratis, mandarunt, vt Diethero ad pontificatus Moguntini gubernacula rursum adscito fidem sacramento addicant atque obsequium. Simul e gremio suo cum eo *Rupertum* Comitem Solmensem, Custodem maioris, *Volpertum* de *Ders*, Scholasticum, *Bernhardum* de *Breidenbach*, & *Ludouicum* de *Helmstatt* Aschaffenburgum, Seligenstadium, Obernburgum, Werdam, Miltenbergam, & Amorbacum delegarunt; ad ciuitates vero in Thuringiæ, Saxoniæ, & Hassiæ partibus, eundem *Rupertum* Solmensem, *Ioannem Specht* de *Bubenheim*, *Bernhardum* de *Breidenbach*, & *Gerhardum* de *Ehrenberg*.

ne eligatur, littera volunt Pontificis.

7) His ita ordinatis, die XII Decembris quidam, qui se Friderici Imperatoris ferebat nuntium, *Sixti* Pontificis afferebat litteras, quibus, ne Dietherus eligeretur, grauiter interdicebat, vt supra iam dictum. Atenim vero, cum sibi persuasissimum haberent *Bertholdus* Decanus, *Rupertus* Comes *de* Solms, Custos, *Vulpertus* de *Ders*, Scholasticus, *Salentinus* de *Isenburg* in *Grensau*, *Dammo* de *Praunheim*, *Fridericus* de *Leyvenstein*, *Otho* de *Bach*, *Ioannes Specht* de *Bubenheim*, *Bernardus* de *Breidenbach*, *Gerhardus* de *Ehrenberg*, *VVilhelmus* Comes *de* Wertheim, ædis maioris Canonici, nonnisi publicæ vtilitatis intuitu suis se suffragiis Diethero Archiepiscopatum contulisse, illis postridie in domo, vt vocant, Capituli publice lectis, *Volpertus* de *Ders*, Scholasticus, suo totiusque Collegii metropolitani nomine, præsentibus *Adolfo* de *Breithart*, Scholastico ad D. Petri, & *M. Ioanne Lapicida*, ad ædem maiorem Vicario, tanquam testibus ad hæc vocatis, sollemnium obtestationum formulam interposuit (*protestationem* vulgo vocant) tabellionemque publicum, *Ioannem Oleatoris*, vt obnuntiationem factam litteris consignet, rogauit.

quibus respondetur.

8) Postea litteris die mensis Decembris vltimo scriptis Pontificem reuerentissime omnique obsecrarunt studio, velit Dietherum probare. Addebant, non inconsulto se illum elegisse, sed certo iudicio, optimis plane rationibus adductos; quin ante iam, quam litteræ, quibus id prohibeat, aduenerint. Ce-

v. cod. Diph.

terum

Edit. I p. 877

terum aduersus ipsum se iam nec tendere posse, nec in diuersum discedere, ni omnia ad perniciem profligare velint atque perdere. Quibus, vt euentus docuit, Papa acquieuit.

probatur a Papa.

9) Siquidem anno sequenti eiusdem aduenerunt litteræ, Romæ Non. April. datæ. His Dietherus, quod rogarat, ex voto consecutus est. Pontifex enim sibi de ipsius *in litteris scientia, vitæ munditia, morum honestate, spiritualium prouidentia, aliisque multiplicibus donis fide digna testimonia* perhibita esse, præfatus, dignitatem ei Archiepiscopalem auctoritate firmabat Apostolica. Adiecta tamen, quam ipsismet illarum verbis dabimus, conditio; *Volumus autem & auctoritate prædicta decernimus*, Lonstein, *supra ripam Rheni*, & Hoest *supra ripam Mogoni*, ac Steinheim & Dieppurg *opida, cum eorum vectigalibus, theloneis nuncupatis, per flumina & terram extrahi solitis, & quæcunque alia loca seu bona, tam mobilia quam immobilia, cum omnibus & singulis pertinentiis, quæ alias* —— Pius *Papa II* —— *propter nonnullas differentias inter te & præfatum* Adolfum, *super præfectione præfatæ ecclesiæ exortas, ad tui vitam, iuxta certam concordiam, tibi concesserat, ex tunc ad ius & proprietatem dictæ ecclesiæ ac in eum statum, in quo tempore concessionis huiusmodi erant, iuxta dictam conuentionem reuertantur.* Aliæ, quas idem *Sixtus* ad populum ciuitatis & diœcesis Moguntinæ dedit, legi possunt in codice Diplomatico.

cui proinde gratias agit.

10) Beneuolam hanc Pontificis erga se voluntatem quam demississime exosculatus Dietherus, *Sixto* haud cunctanter gratias egit per litteras, eique & ecclesiæ omne obsequium spopondit ac reuerentiam. Quas quam benigne acceperit Pontifex, infra sequetur.

Moguntiam rursum sua facit potestatis.

11) Nunc enim nos poscit Moguntinensium intemperies. Quippe hi, vt turgidis semper fuere ingeniis, & ad turbida omnia proniores, furere in armis ac passim in foro tumultuari, quin tandem Decano & Collegio ad ædem maiorem, ipsis Mariæ Magdalenæ feriis, ciuitatis dominium vi extorquere ausi sunt. Sedenim non longa imperii possessione. Dietherus namque triduo post accurrit, vrbemque suæ fecit potestatis. Inita autem tum cum ciuibus pactio in has leges; Ciuitas Diethero, eiusque in Archiepiscopatu successoribus in perpetuum subdita sit, maneatque. Archiepiscopo decedente obsequii fidem Capitulo iurato præstet, eique pareat, vsque dum nouus Archiepiscopus rite fuerit electus; Electus præterea legitimis suffragiis se Archiepiscopum constitutum allatis Collegii litteris, iisque maiori sigillo firmatis, docuerit. His ita constitutis, eodem die iuris iurandi vinculo se Diethero obstrinxere, in eiusque potestate se futuros, sancte polliciti sunt.

benignum a Pontifice responsum accipit.

12) Vt Sixto gratias egerit, n. 10 dictum. Notandum nunc, quam benigne Pontifex responderit. Partim autem dignis ipsum exornabat laudibus, partim vt in Cæsaris se insinuaret gratiam, prouide consultoque monebat. *Gratissima*, inquit, *fuerunt nobis litterea tuæ, quibus deuotionem & affectum animi tui erga nos abunde declaras: de qua quidem re nunquam dubitauimus, quodque egimus, libenter a nobis actum est, tum propter virtutes tuas, tum quod existimamus, talem te futurum,* —— *qualem polliceris, & fore confidimus, ita vt optimum filium genuisse SS. Romana gaudeat ecclesia* —— *Reliquum est, vt cum Cæsarea Maiestate studeas bene conuenire, ita vt omnia in concordia & vnanimitate procedant, & vt similiter se sua habeat Maiestas, cum* —— *Friderico Palatino*—*procures; quoniam hoc erit valde salutare rebus Christianis, quarum cura præcipue nobis cordi est.* Dat. *Narniæ die XXI Augusti.*

de instituenda Moguntia Academia agit.

13) Ceterum alias inter curas de instituenda etiam Moguntiæ bonarum litterarum, artiumque officina siue academia seriam susceperat cogitationem, vt ciuitatis, dissidio nupero nimium quantum afflictæ, consuleret commodis, cum maxime vero studiis liberalibus maiorem ad cultum prouehendis. Agebat itaque, vt voti damnaretur, cum Pontifice. Nec frustra. Sixto, quæ petebantur, benigne prorsus prolixeque Bulla IX Kal. Decembr. edita concedente, vt in schediasmate *de Academia Moguntinensi* § III legere est.

Ioannis Niclashusensis dogmata execratur.

14) Accidit autem tum, vt iuuenis quidam rusticus, *Ioannes Beheim*, vulgo *de Niclashausen* dictus, magno apud credulam plebem esset numero. Habebatur enim propheta, doctorque diuinitus excitatus. Hæc res, cum periculi plena esset, ne ecclesiam in casum quendam daret, tum *Rudolfus* Episcopus Herbipolensis, tum *Dietherus* habebant pensi. Et ille quidem miserum, captum & in vincula redactum, die XIX Iulii ignis affecit supplicio. Vid. *Frisius* chron. Wirzburgens. in *Rudolfo II* cap. XV, XVI, XVII, p. 852 & seq. Dietherus vero ædem *Niclashusensem*, ad quam, illo exstincto, non minor quam ante populi concursus erat, ineunte anno MCCCCLXXVII die II mensis Ianuarii euerti, soloque æquari iussit, extinctis omnibus priuilegiis ac iuribus, eidem a decessoribus olim concessis vel firmatis; parochianis vero ædi Gamburgensi in perpetuum contributis, vt ex tabulis tum editis fusius cognoscere est. Qua sententia postmodum nonnihil mutata, litteris die mensis Octobris X signatis, ædem interdicto tantum supposuit; ceterum vero, ne quis eam inuisat, sub anathematis interminatione interdixit. Vtrasque reperies in codice Diplomatico.

Wilhelmum Brunsuicensem anathemate exsolui iubet.

15) Aliquanto ante vero ministri satellitesque *VVilhelmi* iunioris, Ducis Brunsuicensis & Lüneburgensis, Presbyterum quendam violenter inuaserant, ac captiuum aliquandiu in vinculis cohibuerant ac compedibus. Quod omne cum Dux ipse ratum haberet gratumque, pœnas ille ecclesiasticæ detestationis incurrit. Quibus cum nunc eximi desideraret, peteretque, Dietherus annuit, ac Parocho ad *D. Iacobi*, quæ Göttingæ est, in mandatis dedit, vt, si comperiret, Presbytero condigne satisfactum esse, Wilhelmum vinculis istis expediret: exacto tamen prius ab

eodem iureiurando, quod pariturus mandatis ecclesiæ, intra annum *a dato litterarum* Sedis Apostolicæ conspectui se præsentare ve-
V. cod. Dipl. lit. Litterarum vero datum est, Moguntiæ die XXI Martii.

academiam Moguntiæ aperiendam significat.

16) Decem diebus post, tabulis publice editis, singulis ac omnibus bonarum artium liberaliumque scientiarum studiosis ac cultoribus significauit, ad Kalendas Octobreis publicam honestorum studiorum palæstram se Moguntiæ aperturum. Leges eas § IV dicti *de Academia Moguntinensi* schediasmatis.

Litem Dorlensiũ cum Collegiata Salzensi decidit.

17) Inde controuersiam, quæ ciuibus maioris Dorlæ (*Oberdorla*) cum Collegiata Salzensi erat, Erfurti die Mercurii post dominicam *Vocem iucunditatis* dictam & cognouit & decidit. Vbi velim notes, Collegialem hanc Dorla ab Adolfo Salzam translatam fuisse; fundatam ceteroquin ab Willigiso Archiepiscopo. Conf. *Gudenus* histor. Erfurtens. lib. I § V p. 18, & quæ dixi in annotationib. ad *Serarium* in vita *VVilligisi* § IX p. 453.

monasteriũ Seligenstad intulit.

18) Fama vero de prolapso cœnobii Seligenstadensis statu indies magis percrebescente, ipse adsumtis secum Ordinis D. Benedicti Præsidibus, aliisque magna auctoritate viris illud interuisit, & cum reapse comperiret, non cœnobitas solum excusso disciplinæ iugo prauis omnia miscere exemplis, vagosque discursare, verum etiam ipsum Abbatem *Reinhartum* instituti religiosi minus fuisse obseruantem, in regimine vero segniter ac negligenter egisse omnia; adhæc magnam iam fundorum partem prodigentia decoxisse; quin immo D. Laurentii martyris caput, nec non alias plerasque Sanctorum reliquias, vasa item sacra, ornamenta templi, libros censuales, aliaque clanculum asportasse, & Geilnhusæ vitam agere vagam; litteris die XXVII Iulii datis vniuersis per ciuitatem ac diœcesin Moguntinam ecclesiarum Rectoribus, præcipue vero Geilnhusanis, apud quos ille se continebat, mandauit, vt eum *primo*, *secundo*, *tertio*, *& peremptorie* citent, sicut & ipse his eum citabat litteris, vt Aschaffenburgi post quatuordecim dies, *hora vesperarum*, compareat, ad videndum & audiendum, ob causas prædictas ab dignitate officioque se esse remouendum.

Rosenbergiis gratificatur

19) Hæc inter *Rosenbergii*, ceterique castrorum *Boxberg* & *Schüpf* e Nobilitate possessores olim socii (vulgo *Ganerben* vocant) enixe petebant, vt sibi loca hæc restituerentur. Iis sic rogantibus, sequestrium interceßere loco *Albertus* Elector Brandenburgicus, & *Philippus* Episcopus Bambergensis, & die partibus Windshemium indicta rem huc tandem deduxere, vt *Dietherus*, *Philippus* Palatinus, & *Rudolfus* Herbipolensis iis tum castrum Boxberg cum oppidulo, tum Schüpf cum locis contributis redderent; Rosenbergii vero pollicerentur, si castrum Boxberg reædificarent, tum id feudi siue beneficii titulo se ab illis recepturos. Conf. *Frisius* l. d. cap. XIX p. 855. Compositioni finis impositus Mercurii post D. Laurentii sollemne. Legati, ad diem constitutum a Diethero missi, erant *Ioannes* frater, Comes Isenburgico-Büdingensis, *Ludouicus* de *Bünavv*, & *Petrus Eberstein*; a Palatino, *Simon* de *Balizoven*, Aduocatus Heidelbergensis, & *Erckingerus* de *Rodenstein*, aulæ Mareschallus; ab Herbipolensi, *Georgius* ab *Elrichhausen*, *Kilianus* de *Bibra*, Canonici Wirzburgenses, & *Conradus* de *Hutten*, Miles.

Landgrauia Mechtildi potestatem dat constituendi, qui cœnobia per Hassiam inuisant.

20) Quum vero tot aliis occupatus negotiis monasteria in terris Landgrauiatus Hassiaci, a prisco integritatis vsu haud parum prolapsa, ad intermortuæ religionis officia & veteris disciplinæ vigorem præsens ipse reducere haud posset, litteris Aschaffenburgi die XXI Augusti scriptis *Mechtildi*, e Comitibus Wirtembergensibus & Montisbeligardensibus, Landgrauiæ Hassiæ, *Ludouici III* viduæ, potestatem fecit, viros quosdam munerum dignitate, vitæque sanctimonia conspicuos eligendi, qui cœnobia illa, siue sanctimonialium sint siue virorum, toties quoties opus sit, pro officio inuiserent, & ad cultum veteris religionis omni reuocarent studio; data simul eisdem facultate, defectus corrigendi, & Officiales, quin & illorum tum Rectores tum Moderatrices suspendendi siue magistratu ad tempus submouendi, immo si commeruissent, penitus de dignitatis gradu deiiciendi, vt codicem Diplomaticum inspicienti patebit.

arcem Moguntiæ statuit,

II Hic Dietherus arcem in fine ciuitatis Moguntinæ de nouo construxit, quam castrum *S. Martini* appellari voluit. Vniuersitatem gymnasii generalis in ciuitate Moguntina primus instituit, quam aliqualiter dotatam a summo Pontifice confirmari & consuetis priuilegiis & gratiis cumulari impetrauit. *n. 10 & 16 § 1.*

Arx vero illa paullo ante ab eo exstructa subito incendio sub noctis medium tota deflagrauit anno MCCCCLXXXI, feria VI ante dominicam *Esto mihi:* fuissetque tam ipse, quam Ernestus Saxoniæ Dux, qui forte aderat, in somno exustus, nisi a Reiffenbergio excitati ambo, nudi profugissent. Illam tamen firmiori e lapidibus opere ilico reædificare instituit: dumque fundamenta locarentur, singulis latomorum, cæmentariorumque magistris, per Reinholdum Anselmum Cellarium, singulos donauit nummos aureos.

in fine vrbis

1) Excitauit eam in fine vrbis, qua Rhingauiam spectat, ædibus, vt illi exstruendæ locus esset, duodecim, in illo tractu sitis, tanti quanti ante vrbem ab Adolfo occupatam æstimatæ erant, numerata pecunia coemptis.

sumtu ante iam confecto

2) Sumtum ad opus explicandum confecerat iam ante. Cum enim *Ioannes* de *Niclashausen* ad ignis, vt dictum, raptus fuisset supplicium, partem auri, argenti, aliarumque rerum, quas ei populus obtulerat, cepit *Comes VVertheimensis*, tanquam loci dominus, partem *Rudolfus* Herbipolensis, tanquam Diœcesanus, partem *Dietherus*, tanquam Primas prouinciæ. Et hanc ipse ad arcem hancce statuen-

Edit. I p. 877

statuendam destinauit iuxta atque expendit. *Trithemius* chron. Hirsaug. p. 487.

cur D. Martini castrum appellari voluerit.

3) Cum vero *D. Martinus* Moguntinensium patronus sit, non mirum, quod *S. Martini castrum* illam appellari voluerit Dietherus. Huius alioquin rei caussa *D.* quoque *Martini* imago, ingentis quidem magnitudinis, turri arcis maiori, qua Rhenum respicit, post appicta (quæ vtique renouari meretur) cum inscriptione; quæ tamen ἐπιγραφὴ maximam partem temporum cessit iniuriis.

Moguntia imponit præfectum.

4) Anno sequenti MCCCCLXXVIII, vt Moguntinos hoc magis in officio contineret, Martis post dominicam *Iudica* vsu ecclesiastico appellatam, *Philippum* Eppensteinium, Dynastam Kônigsteinensem, *Eberhardi* filium, ciuitati Præfectum imposuit, cum mandato, fortunas Cleri & ecclesiarum studiose tuendi; populo autem iusto moderatoque præsidendi imperio; quo vide *catalogum Vicedominorum ciuitatis Moguntinensis.*

monasterium Seligenstad reformat.

5) Post monasterium, de quo supra, Seligenstadense, adsumtis denuo quibusdam Ordinis Benedictini Cœnobiarchis, Bursfeldensi deuinctis regula, reuisitauit, vidensque, nil minus cordi fuisse cœnobitis, quam vt factis starent constitutionibus (reperérat enim nonnisi Abbatem & vnicum e fratrum numero) *Reinhartum* ad dies vitæ Abbatis officio (titulo tamen retento) abstinere iussit; regimen vero, curam, & administrationem monasterii die XXVII Iunii plenarie commisit *Iacobo Stege*, dicti Ordinis monacho, litterarum scientia, in rebus agendis industria, vitæque integritate multum laudis consecuto.

Bullam papalem Francofurtensib^s datam restringit.

6) Bullam deinde, qua Pontifex Francofurtensibus facultatem concesserat, diebus anniuersarii Christianorum ieiunii & aliis, quibus esus ouorum & lacticiniorum prohibitus, butyro, caseo, ouis, lacte, cibisque ex lacte aliis; senibus vero & valetudine aduersa correptis, carnibus vescendi, & explicuit & edito die III mensis Iulii diplomate restrinxit, ætate solum grauibus & ex morbo infirmis butyri, ouorum, & id genus ciborum esu permisso.

Presbyterō & Episcopi honores consequendi licentiam accipit.

7) Vsque huc vero nondum Presbyteri consecutus erat honores. Hoc autem anno Bulla peculiari, Romæ ipsis Id. Augusti data, a *Sixto IV* licentiam accepit, eos, a quocunque velit Antistite Catholico suscipiendi, nec non ab eodem vel alio, accitis tribus vel duobus Episcopis, consecrationis munus solito capessendi ritu.

Academia Mogūtinensi certa priuilegia indulget.

8) Academiam, quam Moguntiæ conderat, vti in oculis habebat ac animo, ita multis eam anno postero MCCCCLXXIX exornauit, cohonestauitque tum priuilegiis tum immunitatibus, quo tam docentibus, quam discentibus hoc acriores ad litterarum studia faces subderet. Tabularum, quibus ea complexus fuit, datum est Moguntiæ die XXVII Aprilis.

Prouisorem Erfurti instituit.

9) Sequentibus diebus Aschaffenburgi de conferenda *Alberto*, Duci Saxoniæ & Canonico Moguntinensi, Prouisoris Erfurtensis dignitate, cum Legatis ipsius, *Caspare* de *Schônenberg*, Milite, & *Henrico Mellerstatt*, Doctore, Canonico Misnensi, egit. Consummatis deliberationibus, Lunæ post almam Pentecostes, eam *Alberto* detulit prouinciam, tabulisque editis commisit.

III Anno MCCCCLXXIX Eysfeldiam ad se pertrahere conati sunt Saxoniæ Principes, & Rustenburgensem arcem Comes Schwartzenburgius; hisce tamen conatibus omnibus prudenter occursum.

loca Eichsfeldia recuperat,

1) Scilicet, Adolfus decessor *VVilhelmo*, Saxoniæ Duci, & *Henrico*, Comiti Schwartzburgio, cum eos sibi in auxilium adsciuisset, pro constitutis stipendiis præcipua tractus Eichsfeldensis loca oppossuerat pignori. Vid. *Helvvichius* de dissidio Moguntino sect. III § XII p. 161. Hæc vt Dietherus oneribus, quibus innexa erant, exsolueret, Sedique adsereret Moguntinæ, curæ habuit. Vt posset, certam pecuniæ summam ab *Alberto*, quem dixi, Saxoniæ Duce, sumsit mutuo. Qua cum ea recuperasset, Lunæ post D. Dionysii ferias itineri se accinxit, ac Duderstadium dominica D. Galli sollemne subsecuta ingressus est. Ciuibus, ipsis D. Lucæ feriis, in fidem receptis, sequenti die Heiligenstadium concessit, oppidanisque similiter sacramenti religione sibi obstrictis, Mercurii post D. Seueri memoriam proxima, *Alberto* cum præfecturam Rustenbergensem, tum totius curam Eichsfeldiæ delegauit; constituro, qui vice illius Duderstadii ageret, *Burchardo* de *Enzberg*; in reliquo vero Eichsfeldiæ tractu *Henrico Reuss* de *Plauen*, Domino Cranichfeldæ.

& Alberto Prouisori committit.

2) Inde Fritislariam perrexit. quo cum venisset, Mercurii post OO. SS. ciues in sua adegit verba; post, die Saturni ante D. Martini ferias, Ameneburgum se contulit, oppidanos eadem sibi deuincturus ratione.

Moguntinenses nouo pacto sibi obstringit.

3) Postero, qui MCCCCLXXX a salutifero Virginis partu fuit, noua Lunæ post illius purificatæ ferias ciues Moguntinos sibi obligauit pactione. Summa huc redit; Ciuitatem vna cum arce illi imposita, omnibus item iuribus, reditibusque in perpetuum mansuram in Archiepiscoporum Moguntinensium ditione; Archiepiscopo item homagio siue iureiurando interueniente iustos obsequii titulos religiose delaturam. Arcem *S. Martini* perspectæ nobilitatis viro, tanquam Burggrauio, committendam, qui vigiles, custodes, aliósque curandæ illi & defendendæ constituat. Si contingeret, se vel successorum quendam hostiliter capi, id agendum, vt duo e gremio Collegii maioris & Vicedominus Rhingauiæ cum seruis duobus in castrum se conferant; queis Senatus ciuitatis vnum ex ordine Senatorio, Rhingauienses septem, & vnumquodque tractus superioris oppidum, *Aschaffenburgum* scilicet, *Seligenstadium*, *Diepurgum*, *Miltenberga*, *Amorbacum*, *Bischofsheimium*, *Külsheimium*, *Buchen*, & *Düren*, vnum adiungat; qui antequam in arcem recipiantur, Burggrauio iurato fidem dent, se eam omni defen-

defensuros studio, donec Archiepiscopus libertati restitutus sit. Si ipse vel successorum quispiam vitæ finem impleat, idem obseruandum, donec defuncto legitimis suffragiis successor datus sit, & electus castrensibus hisce per quatuor Canonicos, vna cum litteris Collegii metropolitani sigillo maiori firmatis, denuntietur; cui dein duo isti e gremio Capituli vna cum ceteris obsequii religione sine mora se deuinciant. Edit. I p. 877

IV Anno MCCCCLXXX equestres a nobilitate ludi Moguntiæ habiti, prout refert liber, qui *Torneamentorum* dicitur. Præter Academiæ inchoationem, valde hoc in Diethero laudatur, quod quæ in clero, & monasteriis, Seligenstadiensi præsertim, quod nobilium genere, ignobilium moribus, monachorum luxu diffluebat, scandala videbantur, tollere studuerit. *Ioannem* de *Wesalia*, hæreticum, vt lib. I cap. XXXIV notatum, damnauit. Videtur vero & ipsus esse Archiepiscopus, qui tumidum, dicacem, & contumeliosum concionatorem *Wigandum* quendam Francofurti coercuit, quique nequissimis & vanissimis illis, quos anno postmodum MDIX Berna combusserit, *Mirabiliariis* (sancti enim *Augustini* verbo vti placet) formidini fuisse traditur. *n.* 18 § 1 *n.* 5 § 2. *Tract.* 13 *in Ioan.*

ludos Moguntiæ haberi permittit.

1) Quod ad ludos istos equestres, notandum, quod initium sumserint Veneris post diem Virgini adsumtæ sacrum. Vti vero hoc maiori celebrarentur frequentia, Diethertus, litteris die Iouis dominicam *Oculi* dictam subsequente datis, singulis ac omnibus Principibus, Comitibus, Dynastis, Militibus, Armigerisque ad ista venturis fidem dedit publicam (*vnser fry, strack, vngeverlich, vffrichtig geleide*) iisque simul immunitatem a vectigalibus, quibuscunque Archiepiscopatus locis, terra fluminibusque Mœno ac Rheno præstandis, appromisit.

Ne vero Pontifici suboriretur suspicio, ac si istos aliis de caussis Moguntiæ haberi permitteret, litteris X die mensis Maii perscriptis summa testatus fide est, plane nil, quod rei vel ecclesiasticæ vel ciuili officere posset, ibidem actum iri. Locus iis est in codice Diplomatico.

cum Henrico Hasso fœdus renouat

2) Dein, vt bene iunctam cum *Henrico* Hassiæ Landgrauio coleret amicitiam, fœdus, quod Theodericus Fridbergæ anno MCCCCXLII, Mercurii post D. Mauricii sollemnitatem, cum Ludouico III, illius patre inierat, Hôchst I Lunæ post dominicam SS. Triados honori peculiariter sacratam, auspicato renouauit; eoque sic in eius se dedit consuetudinem, vt Henricus ipsi tum villæ *Ems*, quantum ditionis erat Hassiacæ, tum thermarum partem ad dies vitæ conferret.

præfecturas Algesheim & Ameneburg redemtas Alberto Saxoni concedit.

3) Sedenim, vt *Algesheimensem* & *Ameneburgensem* præfecturas pignoribus eximeret, accepta rursus ab *Ernesto*, Saxoniæ Duce & Septemuiro, XX M. florenorum summa, eas *Alberto*, eiusdem filio, concredidit tum regendas tum fruendas; adiectis tamen quibusdam conditionibus; quas inter erat, si ipsi haud integrum vel collibitum esset, iis coram præesse, vt genuinæ viros nobilitatis (*zum Schild geboren*) constitueret, qui tum Algesheimii tum Ameneburgi laribus fixis easdem administrarent; deinde, si ad culmen Sedis Moguntinæ prouehertur, antequam relucrentur, vt tum Archiepiscopatui easdem liberas dimitteret, omnique nexu solutas.

cum Ioanne Wertheimensi componitur.

4) Hæc dum fiebant, durabat adhuc lis, quæ ei cum *Ioanne*, Comite Wertheimensi, intercedebat. Materies potissimum erat oppidum *Külsheim*, quod cum Ioanni impignoratum esset, postea *Ioanni* de *VVittstatt* oppositum fuerat; Wertheimensi rem grauiter ferente, & non modo *VVittstattium* vi de loco depellente, sed oppidi etiam ciues inuadente iuxta despolianteque. Accedebat controuersia de præstationibus hominum propriorum præfecturæ *Buchen*. Tandem Elector Palatinus, ad quem vtriusque partis voluntate res delata erat, peruigilio D. Iacobi contentionem sic diiudicauit; Ioannes Dietherum in possessionem partium oppidi Külsheim postulatarum immitteret, eique pensionem tributariam hominum propriorum præfecturarum Buchen & Düren impræpedite permitteret. Adsedere *Philippo*, cum sententiam ferret, *Reinhardus* Episcopus Wormatiensis, *Thomas Dornberg*, Cancellarius, *Godefridus* de *Adolsheim*, Eques, *Eitelius* de *Sickingen*, Eques, *Petrus VVacker* D. *Hartmannus* de *Eppingen* D. *Bernhardus Frevvis* D. *Nicolaus* de *Ebesheim* D. *Ludouicus* de *Sickingen*, *Philippus Kemerer* de *Dalberg*, & *VVendelinus* de *Remchingen*.

Moguntia ades ruinosas & deformatas instaurari iubet.

5) Moguntiæ tandem instaurandæ cum non plane nullam haberet rationem, Veneris post ferias Seruatoris natalitias ciuibus Moguntinis promulgato iniunxit edicto, vt quisque ædes suas, quæ vel vetustate laborarent, vel incendio ruinisque essent laceræ, vel etiam solo afflictæ, intra annum reficiat, & ex ruinis sustollat: de collapsis vero nemo vel ligna vendat, vel lapides; ruinosarum adhæc nullam destruat sine magistratus præscitu.

Sedi subditis vicesimâ imponit.

6) Arcem anno sequenti MCCCCLXXXI totam deflagrasse, auctor § II iam præcepit. Hanc cum reædificare decreuisset, simulque constituisset, vnam alteramue præfecturarum, titulo pignorum adhuc auersarum, præsenti recuperare pecunia, Saturni post Virginis adsumtæ memoriam prouinciæ Moguntinæ subditis vicesimam pendendam imposuit, constitutis, qui eam colligerent, *Bernhardo* de *Breidenbach*, Ciuitatis Camerario, *Volperto* de *Ders*, Canonicis Moguntinis, *Conrado* de *VVildungen*, Decano ad D. Gangolfi, & *Georgio Brendel* de *Homburg*.

mandatum de instaurandis ædibus extendit.

7) Quam Moguntiæ instaurandæ habuerit curam, dictum paullo ante. Iussis cum nemo fere inter hæc obtemperasset, & reficiendis manus admouisset, Veneris post D. Bartholomæi ferias tempus superiori anno præstitutum

Edit. I pag. tutum vsque ad Pentecoſten anni MCCCCLXXXII extendit; hac adiecta denuntiatione, quod ſi quis intra hoc ſpatium imperata haud fecerit, tum ædes areasque fiſco addictum iri.

forum legibus munit. 8) Ceterum, vt tribunal ciuitatis ad iuſtitiæ & æquitatis flecteret habenas, monitis illud conſiliisque ſalubribus temperauit, ac eodem hoc anno leges etiam quasdam promulgauit, a Iudicibus in poſterum obſeruandas.

Biſchofsheimum reluit 9) Quemadmodum vero omne eo conuertebat ſtudium, vt loca Archiepiſcopatus ad alienos dominos olim dilapſa reciperaret, ita anno MCCCCLXXXII oppidum *Biſchofsheim*, cum locis contributis, quod Adolfus, cum ab *Henrico* Adiutore dimiſſum eſſet, Comiti Rieneccenſi pignoris dederat loco, præſenti reluit pecunia, miſſis die Martis poſt dominicam *Reminiſcere* dictam fratre *Ioanne*, *Volperto* de *Schvvalbach*, *Ebaldo Faulhaber*, *Ebaldo VVymar*, & *Conrado Volprecht*, qui ciues, incolasque præfecturæ iſti adſcriptos denuo in fidem reciperent.

V Opera docti piique viri, quem ſequentibus verbis in catalogo ſuo deſcripſit *Trithemius*, multum vſus eſt: *Ioannes*, inquit, *de Lutra villula, dictus de Lutrea, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus, & eruditus, & in philoſophia ſcholaſtica egregie doctus, ingenio ſubtilis, ſermone compoſitus, vita & conuerſatione honeſtus & ſingulariter deuotus, amator virtutum, hoſtis vitiorum, fortiſſimus auaritiæ contemptor, qui pluralitatem beneficiorum abhorruit, titulum Epiſcopatus ſibi oblatum ſpreuit, qui primum in Gymnaſio Erfordienſi Theologiam multis annis glorioſe docuit, & poſtea in eccleſia Moguntina prædicatoris officium ſtrenue geſſit. Scripſit ſuper ſententias lib. IV. Quæſtiones quoque varias, ſermones de tempore & de Sanctis lib. II. Et quædam alia nobis incognita. Moritur ſub Frederico Imperatore III, & Sixto Papa IV, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono, indictione XII.*

VI Tandem vero cum ſecundum electus ſuo annos VI, menſes VII, dies XXI bene perfunctus eſſet munere Dietherus, dyſenteria extinctus eſt Aſchaffenburgi anno MCCCCLXXXII, die VII Maii, cum prius, de Capituli partis maioris conſenſu, a Pontifice Sixto impetraſſet, vt egregiæ indolis adoleſcens *Albertus*, annos natus XVII, Saxoniæ ac Miſniæ Ducis *Erneſti* filius, Canonicus Moguntinus, fieret Adminiſtrator, poſtea ſucceſſor. Moguntiam vero pompa funebri adductus, hoc, in principe templo, habet epitaphium:

878

*Bis Præſul factus Comes Eyſenberg * Dietherus,* * l. Iſenburgk
Moguntinam arcem ſtruxerat atque ſcholam.
Hoc voluit tumulo corpus condi miſerandum,
Ciuibus æthereis dans animamque Deo.

iuſta funeris ſui procurat. Vt ædis maioris Canonici ſibi poſt obitum ſollemni parentarent cæremonia, & gratam quotannis nominis ſui memoriam peragerent, moriens curauit, vt iis quadringenti numerarentur floreni, quos etiam Iouis poſt Aegidii *Chriſtianus Gans*, Præpoſitus Moxſtadenſis ac Sigilliſer Moguntinus, eisdem exſoluit.

Similiter anno MCCCCLXV, Mercurii poſt ſollemne B. Virginis in vtero conceptæ, animæ cum ſuæ tum parentum ſuorum ac maiorum expiandæ, Miſſam inſtituit, in arce Hochſtana quotidie in honorem D. Barbaræ legendam.

Lector beneuolus ἁμάρτημα, quod nobis ſupra p. 771 in ſchemate Dietheri geneatchico lit. i) obrepſit, corrigat, & pro verbis, *eandemque* Comitem *dicat* Naſſouiæ, legat velim; *eandemque* Comitem *dicat* Catimelibocenſem.

ALBERTVS I,
ab aliis
ADELBERTVS III.

I

FActum in hoc, quod ſupra petiiſſe Dietherum, qui eum liberaliter educarat, narraui. & Aſchaffenburgo Moguntiam veniens, ad ſolitum fidei ſacramentum ciues ilico vocauit die VIII Maii. *Albertus*

ſtirpe fuit Dux Saxoniæ; 1) Fuit *Albertus*, vt ſub finem Dietheri iam dictum, filius *Erneſti*, Ducis Saxoniæ, Principis Electoris, & *Eliſabethæ* Bauariæ; frater, quod addendum, *Friderici*, cognomine *Sapientis* appellati, *Ioannis*, cognomento *Conſtantis*, Electorum, & *Erneſti*, Archiepiſcopi Magdeburgenſis. Schema id docet ſequens.